Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26048
Copyright: Admont, Benediktinerstift

amor eternitatis. Consideratione ergo eterne patrie de loco suo animum movet. quia derelictis infimis in supernis cogitationibus ponitur. Prius enim que eterna esse nesciebat in presentium delectatione torpuerat. simulque ipse transiens a morte transeuntia tenebat. Sed postquam que eterna sunt cognovit postquam superne lucis radios raptim contemplando contingit ipsa admiratione sublimiorum sese ab infimis suscitatus elevavit ut nulla iam ei nisi que eterna sunt libeant et despectis transeuntibus sola que permanent requirat. Bene ergo dicitur. Super hoc expavit cor meum et motum est de loco suo. quia pigrum cor et terrenis dudum cogitationibus deditum cum repente per excessum se ad summa suspendit cogitationis infime locum mutavit. Sed dum per semetipsam in amore presentis seculi prostrata mens dormitat et nisi divine gratie aspiratione pulsetur in suis delectationibus frigida insensibilisque torpescat necesse est ut quomodo intima cogitatione tangatur ut qualiter ad spiritualia sensificetur adiungat. Sequitur. Audiet auditionem in terrore vocis eius. et sonum de ore illius procedente. Mos sacri eloquii est. ut cum audire aliquid per auditum insinuat audire eundem auditum dicat sicut Abacuc ait. Domine audivi auditum tuum et timui. Unde hic quoque dicitur. Audiet auditionem in terrore vocis eius.

Notandum vero est quod vox dei non in gaudio sed in terrore audiri perhibetur. quia nimirum peccator quisque dum sola que terrena sunt cogitat si repente divine gratie aspiratione tangitur hoc ante omnia intelligit quod cuncta que agit districta eterni iudicis animadversione puniantur. Auditur ergo vox dei prius in terrore ut post iteratur in dulcedine. quia ante nos districti iudicii timor castigat ut iam castigatos superne dulcedinis consolatio reficiat. Nam cum nos violenta rerum temporalium delectatio possidet et mentis nostre oculos in somno torporis premit. si manu subita superni respectus excitamur. diu clausos mox eosdem ad veritatis lucem oculos mentis aperimus. que egimus mala meminimus quam districtus iudex contra hec veniat videmus. Versatur in mente quantus sit ille tanti iudicii adventus. que tunc illa sit hominum angelorumque frequentia. quanta contra reprobos pugnet elementa ardentia. quam terribiliter eterna prodeat districti iudicis ore sententia qua reprobis dicitur. Discedite a me maledicti in ignem eternum qui paratus est dyabolo et angelis eius. Consideratur pena reproborum ante oculos volvitur. et que sint gehenne tenebre cum gravi amaritudine obscuritatis pensatur. Quia ergo reproborum cor prius terrore concutitur. ut consultum in amore